

8.
76

~~G. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-76. —
SIGNAT. CCCXIII.

(v.6)

DE
STUDIOSA
OCCULTATIONE
CONCLUSIONIS

PRÆSIDE
SEBASTIANO EDZARDO

PROF. PUBL.

IN COLLEGIO DISPUTATORIO DISSERET

GABRIEL SCHWARTZ
BALLIA-BREMENSIS

OPPONENTIBUS

GUST. CHRISTOPH. HOSMANN
GERHARDO LÜDERS

ET

AUGUSTO ESMARCH.

D.

HAMBURGI, Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus
& Gymnasii Typographi.

V I R O

Plurimum Reverendo, Amplissimo, Gra-
vissimo, Doctissimoque,

D O M I N O

J A C O B O
M A K E N S,

A R C H I . D I A C O N O ad D. Catharinæ
meritissimo fidelissimoque,

P a t r o n o , F a u t o r i , a c M æ c e n a t i s u o

Ad cineres usque colendo,

Pro effusissimis in se collatis beneficiis, cum omnigenæ
& perpetuæ prosperitatis voto,

H a s s t u d i o r u m p r i m i t i a s

c o n s e c r a t

R e s p o n d e n s .



I. N. D. N. I. C.

Thesis I.

*Studioſa occultatio Conclusionis ad Crypsin omissionis
pertinet.*

Annotationes.

(1)



Jungius Logica Hamburgensi Lib. III.
Cap. XVI. §. 7. Crypsin Omissionis defi-
nit, cum partium Syllogismi aliqua de-
ficit. Jam vero Conclusio est pars Syllo-
gismi. Quando igitur Conclusio deficit,
est Crypsis Omissionis. Minor patet ex
definitione Syllogismi Aristotelica, quæ in
Logica Hamburgensi Lib. III. Cap. V. §. 1. repetitur & ap-
probatur.

A 2

(2) Nec

(2) Nec obstat, quod B. Autor Logices Hamburgensis
§. 8. Crypsin Omissionis in Enthymema & Syllogismum
contractum dividat. Quamvis enim nec in Enthymemate
nec in Syllogismo contracto omittatur Conclusio, propterea
tamen occultationem Conclusionis ex Crypsi omissionis eli-
minare noluit. Optime enim animadvertebat, Conclusio-
nem facile suppleri ab eo, qui in Enthymematis & con-
tractis Syllogismis supplendis habitum sibi comparaverit.
Unde procul dubio existimabat, non esse necesse, ut eodem
hoc capite, quo ceteras etiam crypses pertractare in animum
induxerat, occultatio conclusionis sigillatim edissereretur.
Ubi enim integræ disciplinæ traduntur, nonnulla etiam me-
ditationi Lectorum relinqui expedit.

(3) Interim non plane silentio prætermisit. Nam Li-
bro III. Cap. XIX. Dilemma plerumque ellipsoes crypsi in-
volvi docet, sub juncto exemplo, in quo Conclusio deficit.

Thesis II.

*Prudenter occultatur Conclusio, quando verisimile fit, ve-
ritatem vel facilius vel fortius penetraturam animum
esse, si Conclusio non statim in medium
proferatur.*

Annotatio.

Alcibiades agrorum multitudine se efferebat. Socrates
igitur fastum ejus retusurus, tabulam in qua terræ ambitus
spectantium oculis fistebatur, commonstrabat, rogans ut
Atticam inquireret. Eam cum invenisset, petebat ab eo So-
crates, ut fundos suos ostenderet. Respondente Alcibiade,

am

ἀλλὰ ὀνδαμός γέγεραμένοι εἰσὶν, (atqui nusquam ibi picti sunt) tunc demum Socrates Conclusionem, quam eo usque data opera reticuerat, in apricum proferebat, horum possessione eum male superbire, quæ nulla pars essent terræ: ἐπὶ τοῖς μέγα Φρονεῖς, διπερ φόδεν μέρος τῆς γῆς εἰσὶν, vid. Älianuſ Lib. III. Historiæ variæ Cap. 28. Profundius enim hæſura in mente Alcibiadis videbatur admonitio, si non prius Conclusionem ex ore Socratis audiret, quam de ea ipſem et effet in animo ſuo convictus.

Theſis III.

Sophistice autem occultatur Conclusio, quando aliquid falso propterea in medium profertur, ut veritas, quam aperte adorari pudor prohibet, per cuniculos oppugnetur, vel etiam falsitas, quam quis palam proponere erubescit, tacite commendetur & inculcetur.

Annotationes.

(1) Cum Henricus VIII. in Anglia rerum potiretur, alicui non paucarum Abbatiarum redditus ad se pertraxerant. Erigebantur vero in spem fore, ut Episcoporum quoque agros inter ſe dispartirentur. Minus autem videbatur consultum, Regi animi ſui ſenſa palam exponere. Igitur callido utebantur confilio. Spargebant calumniam, Thomam Crammerum, Angliæ ArchiEpiscopum, eſſe hominem avarum, nec conformem dignitati ſuæ & ampliſſimis redditibus hospitalitatem demonstrare, imo vendere ligna Archiepiscopatui dicata, & omni studio corradendis opibus incumbere. Magis igitur e re Ecclesiæ fore, ſi ipſi ceterisque Episcopis

quotannis honestum numeraretur salarium , prædiis Regiæ Majestati traditis. Thomæ Seymorio autem id dabant officii , ut Crammerum in suspicionem avaritiæ apud Regem ipsum adduceret. At vero non fugiebat Henricum , aulicos suos nec hospitalitatis nec Regiæ utilitatis sed proprii emolumenti rationem habere. Meminerat enim quid Abbatii evenisset , & quam solertes se præbuissent , ut earum redditus vel donationis titulo , vel aliis prætextibus cassibus suis irritarent. Quapropter Seymorio tenacitatem Crammeri graphicè enarranti breviter respondebat , se meliora de Archiepiscopo audivisse. Paucis autem hebdomadibus elapsis , jamjam pransurus mandabat Seymorio , ut recta iret ad Crammerum , eique nunciaret , esse de quibus Rex cum eo hora secunda pomeridiana colloqui vellet. Seymorius Crammeri ædes intrans , repletas hospitibus cernebat. Percellebat illico animum , clamitante conscientia , falsa esse , quæ Regi de Archiepiscopi forditie narrasset. Itaque referebat pedem , non per medios hospites , sed alia via Archiepiscopum aditrus. Videns id Nevilius Archiepiscopi Oeconomus insequebatur Seymoriū , alteramque illam viam nunc non patere indicans , eum per medios convivas ad Archiepiscopum adducebat. Expositis quæ habebat in mandatis , rogabat Crammerus , ut assideret sibi , & una pranderet. Reversum in aulam Rex interrogabat , venturusne esset Cantuariensis . Imò vero , respondebat Seymorius , aderit Majestati Tuæ hora secunda. Pergebat Rex. Pransusne jam erat Archiepiscopus , cum eum adires ? Minime vero (inquiebat Seymorius) Etenim inveni prandentem. Quærente Rege , quo pacto eum excepisset Crammerus ? flexo genu Seymorius veniam perpetrati criminis orabat. Quid ita ? regerebat Henricus. Memini , inquiebat Seymorius , me Alitudini Tuæ narrasse , Cantuariensem non exercere dignam officio suo hospitalitatem : falsum autem id esse ipsem intellexi. Nam si ab aula

Tua

Tua discessero, vix ullibi convenientius & honorificentius mensas instrui existim. Itane, (inquietebat Rex) ipsem et culpam tuam animadver- tisti! Adhac Seymorius. Certo sibi queso persuasum habeat Altitudo Tua, non tam penes me, quam penes alios culpam herere. Ab iis enim mili imponi passus sum, quos ego antiqua fide & virtute esse arbitrabor. In posterum vero tanto diligentius ab iis cavebo, dum vixero. Imo vero, respondebat Henricus, Optime noveram quorsum tenderetis. Ab- batiarum redditus dilapidatis probe. Alii enim sumptuoso uestitu, alii tesserarum lusu, alii aliis modis eos prodegerunt. Nunc Episcoporum prædiis inihiatis, eadem illis ratione abusuri. Componite modo animos ad quietem: Me vivo certe non continget illa, quam consiliis destinafis, mutatio. (I knew your Purpose well enough, you have had among you the Commodities of the Abbies, which you have consumed: Some with superfluous Apparel, some at Dice and Cards, and other ungracious Rule. And now you would have the Bishops Lands and Revenues to abuse likewise: Set yours Hearts at rest, there shall no such Alteration be made while I live.) Tantum quoque absuit, ut Rex de Episcoporum redditibus quicquam imminueret, ut Crammero nec scienti nec petenti Abbatiam Nottingha- mensem Regiamunificantia largiretur. Vid. Johannis Strype Memorials Lib. III. Cap. 30. pag. 432. 434.


(2) Applicatio ad Thesin nostram facilis est. Simul etiam hinc apparet, quantopere ad cavendas solvendasque sophistications faciat, si ultimæ earum Conclusiones non raro callide obiectæ & occultatæ circumspete investi- gentur.

COROL.

COROLLARIA.

1. Non quicquid realiter est ipsa essentia, statim est de essentia.
2. Non Entis nulla est scientia.

S. D. G.



COR

lo.

a-
fe
o-
e-
m
e-



ULB Halle
005 129 222

3



Petra
W 17



DE
STUDIOSA
OCCULTATIONE
CONCLUSIONIS
PRÆSIDE
SEBASTIANO EDZARDO
PROF. PUBL.
IN COLLEGIO DISPUTATORIO DISSERET
GABRIEL SCHWARTZ
BALLIA-BREMENSIS
OPPONENTIBUS
GUST. CHRISTOPH. HOSMANN
GERHARDO LÜDERS
ET
AUGUSTO ESMARCH.
D.

HAMBURGI, Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus
& Gymnasii Typographi.